

vult conqueri de aliquo offitiale, qui habueri(n)t salarium de camera comunis, de aliquibus per ipsum comissis tempore sui offitii contra formam sui capitularii et statutorum civitatis Tergesti, comparere debeant coram ipsis et porrigere eorum
 5 libellos sive querimonias in scriptis ad terminum per eos datum. ¶ Et si in dicto termino aliquis conparuerit et porrexerit libellum suum, tunc dicti syndici consiliarii vel maior pars ipsorum teneantur et debeant sententiare et diffinire intra
 10 quindecim dies super hiis que coram (coram) eis fuerunt producta, victum victori condemnando in expensis, contra dictos tales offitiales vel pro ipsis, ut eis de iure videbitur, et hoc pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet ipsorum sindicorum consiliariorum et pro qualibet causa, et nichilominus ipsas diffinire teneantur. ¶ Et quodlibet dominium teneatur sen-
 15 tentias per eos latas executioni mandare et servare, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet potestate iudice vel rectore. ¶ Salvo quod, si persona contra quam lata foret se appellare(n)t ad maius consilium, tunc illa reducatur ad maius consilium per modum supradictum, et si per consilium
 20 ipsa sententia fuerit anichillata, tunc non teneatur illam servare, et si fuerit approbata in dicto consilio, tunc eam executioni mandare teneatur, ut supra dictum est. ¶ Et ipse notarius sindicorum scribere debeat dictas cridas et omnia attitata // coram dictis syndicis et sententias per eos ferendas,
 25 et eidem solvatur a partibus pro dictis scripturis prout solvitur cancellariis comunis de eisdem¹⁾ scripturis tam autenticis quam privatis. 74 B

Cap. XLIII. De statutoriis eligendis. Et eorum officio. R.ca.

30 **S**tatuimus quod iudices vel rectores civitatis Tergesti qui pro tempore fuerint, videlicet de mense novembris in festo sancti Martini tantum, eligere debeant et teneantur duodecim statuarios bonos homines et discretos, qui sint de maiori con-

¹⁾ eadem.